

res ita se habet; etenim, cum pluries ad talia pascua Franciscus oves duxisset, & quidem licite, nec alias id evenisset, nec ex ordinarie contingenibus debuissest tale damnum prævidere; sequitur omissionem diligenter in non custodiendis ovibus, quædamnum intulerunt, non fuisse culpam theologicam saltem latam, bene vero damnum casuale esse reputandum, siveque ad illud Franciscum non teneri. Ita communiter.

ANNO MDCCXXXV.

MENSE JANUARII.

CAS.I. Titius puellam suæ conditionis sub spe futuri matrimonii defloravit; modo volens eam ducere, obstat illius pater, damni per deflorationem puellæ illati compensationem prætendens, ut alteri sibi bene viso filiam nuptui tradat. Q. utrum justa sit patris prætensio.

Respondeo negative. Ratio est, quia Titius ex vi contractus tenetur puellam ducere, cum ad hanc ducendam, non vero dotandam se obligaverit, hocque puella acceptaverit; unde, si hanc ducere paratus sit, & maxime cum ejusdem sit conditionis, abunde satisfacit: eo modo, quo si Paulus vendat domum Petro cum paeto, ut intra mensem pretium solvat, & sic intuitu talis pecuniae sibi debitæ ineat cum Francisco contractum societatis, si Petrus paratus sit tempore præfixo pretium solvere, & Paulus nolit acceptare, non tenetur ad damnum, quod Paulus pateretur, sed esset ei imputandum: quia Petrus præcise tenetur ad pretium solvendum intra mensem, non ad aliud Pauli damnum reparandum, ita Titius tenetur ad matrimonium, non ad compensandum pecunia damnum, quod puellæ per deflorationem sequitur, quia contractus fuit de matrimonio ineundo. Irrationalis ergo, & injusta patris prætensio. Ita communiter cum Mazzuc. disp. 2. cap. 23. num. 59.

CAS. II. Petrus reus tum perfectæ bestialitatis, tum incestus in primo affinitatis gradu petuit Superiorum ad facultatem obtinendam, ut à proprio Parochio ab utroque casu absolvatur: at petuit quidem, & obtinuit facultatem circa incestum, nullum vero ex oblivione de bestialitate verbum fecit. Q. an Parochus, hoc auditu, possit directe Petrum à bestialitate absolvere.

Respondeo negative. Ratio est, quia, licet facultas pro reservatis à Superiori obtenta extendatur ad similia peccata post obtentam facultatem commissa, ut docet Bonac. de leg. disp. 1. quæst. 3. p. 7. & similiter facultas indefinite obtenta pro reservatis extendatur ad omnia reservata communia; tamen facultas obtenta pro tali determinato reservato expresso, non extenditur ad reservata diversæ speciei, eo quia licentia intelligenda est juxta verba petentis. In casu licentia expresse petita fuit pro incestu:

er-

ergo non extenditur ad bestialitatem, siveque Parochus non potest ab hac intuitu facultatis obtentæ penitentem directe absolvere. Neque obstat, posse dirimi absolvere penitentem à reservatis, si hic habens reservata confessionem fecit apud superiorem, vel apud habentem facultatem in reservata, licet ex oblivione, non tamen ex malitia illi reservata, non exposuit in confessione, & hoc titulo præsentationis, & oblivionis reservatorum: ita & in casu, cum idem militet motivum. Non obstat, inquam, quia in tali casu Superior, absolvendo penitentem, intendit illum absolvere, quantum potest, & per talem Superioris intentionem, posita penitentis oblivione, tollitur reservatio: at in casu petitio facultatis pro reservato determinato expresso Superioris intentionem restringit ad illud tale reservatum, cum licentia non extendatur ultra verba petentis; ideo in hoc casu non posset Parochus directe penitentem à bestialitate absolvere. Ita cum Lugo de Pœnit. disp. 20. sect. 8. num. 122.

CAS. III. Sacerdos, postquam fœtam reddiderit Bertam, & fœtu animato, ei potionem tradiderit ad abortiendum, hinc effectu sequuto, factus sit irregularis, recursum habuit ad Sacram Penitentiariam pro dispensatione super talem irregularitatem his verbis: *Sacerdos factus irregularis ob procreationem fœtus animati, effectu sequuto, petit facultatem, ut à proprio Parocco super talem irregularitatem dispenseatur.* Obtenta tali facultate, Parochus executor, re ex integro audita, judicat, talem facultatem esse subreptitiam. Q. an rectum sit talis Parochi judicium.

Respondeo affirmatively. Ratio est, quia pro dispensatione super irregularitate ex abortu, supplicans debet exprimere, si fœtus erat ex se genitus, & hoc ex stilo Curiæ; quia in hoc casu major ponitur difficultas in dispensando, ut testatur Alphonsus de Leone: at Sacerdos hoc non expressit in supplicatione, ut patet, & vere fœtus erat ex se genitus, ut ex terminis casus: ergo subreptitia fuit facultas obtenta.

MENSE FEBRUVARII.

CAS.I. Titius inivit sponsalia cum Berta, sub hac conditione, si pater meus intra annum consenserit; at pater, antequam fuerit de consensu requisitus, obiit. Q. an talia sponsalia pro fato conscientiae sint valida.

Respondeo affirmatively. Ratio est, quia per mortem patris fuit purificata conditio; finis enim talem apponendi conditionem fuit, ne Genitor ægre ferret tale matrimonium, eique displiceret: at per mortem patris totaliter cessat talis conditionis finis, unde conditio habetur ut purificata: sicut ergo, si pater consensisset, valida fuissent talia sponsalia, ita & in casu. Sanch. lib. 5. de Matrim. disp. 7. num. 19.

CAS. II. Confessarius, auditu in Confessione peccato cum cognata spirituali, negative dubitat, an in Liberculo, in quo descriptam habet facultatem à quibusdam reservatis absolvendi, descriptum sit & tale peccatum; attamen, tali dubio non obstante, directe penitentem absolvit. Q. an bene.

Respondeo negative. Ratio est, quia Confessarius vere esset dubius de fa-

cul-

cultate in certo reservatum, & possessio tota esset pro reservato, quod ei certo constat esse reservatum; unde, sic directe absolvendo, exponeret se periculo invalidam solutionem impendendi. Belloch. de cas. reserv. part.

I. quæst. 2. num. 11. Mazzuch. disp. 1. quæst. 3. dis. 21. num. 68.

CAS. III. Parochus venereis culpis assueto, pro poenitentia injunxit, matrimonium contrahere. Q. an hujusmodi poenitentia genus illi potuerit imponere.

Respondeo negative. Ratio est, quia licet optimum esset ei consulere matrimonium, juxta illud Apostoli: *melius est nubere, quam uriri*: tamen non est opus à Confessario imponendum cum propter immensum onus, quod secum affert tale Sacramentum, ut ait Fagundez in libr. quæst. 2. Ecclesiæ præcept. cap. 5. num. 4. cum propter maximam libertatem, quam matrimonium requirit, quidquid in contrarium dicat Diana cum Leandro.

M E N S E M A R T I I.

CAS. I. **P**arochus hujus Diœcesis absque licentia Ordinarii in matrimonium conjunxit cum Petro Bertam, quæ annos vix tredecim nata ex Imolensi Diœcesi ad suam se contulit Parœciacum suis genitoribus, ibique per annos decem & ultra habitavit cum iisdem, & aliis suis Parochianis fide dignis, qui illum de Bertæ libertate, etiam medio juramento, ceruum fecerunt. Q. an bene se gesserit.

Respondeo, male se gessisse. Ratio est, quia in instructione S.C.Univ. Inquisit. præcipitur tum, quod si contrahere volentes sint exteri, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum doceant de eorum libero statu, tum quod Ordinarii percipient omnibus, & singulis Parochis in eorum Diœcesis existentibus, ut pro matrimonii cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, à quo vel ejus Vicario Generali prius teneantur fidem autenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerint examinati testes in eorum Tribunali, qui probent statum liberum contrahere volentium, &c. Si autem hoc aperte præcipitur, contra talēm instructionem, ut patet, egit Parochus, conjungendo in hac Diœcesi Bertam ex Diœcesi Imolensi cum Petro absque proprii Ordinarii licentia: ergo male egit. Neque Parochus prodesse potest, Bertam se contulisse in suam Parœciacum suis genitoribus, ibique per annos decem, & ultra cum iisdem habuisse, & de ejus libertate per plures Parochianos fide dignos, etiam medio juramento, ei constitisse. Non, inquam, prodesse potest: quia cum Berta discesserit ab Imolensi Diœcesi in ætate nubili, cum esset annos 13. nata, de hac urget Instructio S. C. adeo ut requirantur tum litteræ Ordinarii Imolensis, quibus doceat de ejus libertate, tum licentia autentica Ordinarii hujus Diœcesis, contra quam instructionem, cum egerit Parochus, male se gessit.

CAS. II. Paulus exponit Confessario, commissoe quidem incestum cum nepte sibi consanguinea, sed dubitat utrum tale peccatum alias fuerit confessus apud Confessarium privilegiatum. Q. an stante tali dubio, possit recte per talem Confessarium absolvī.

Res-

Respondeo negative. Ratio est, quia possessio non stat pro Paulo, sed pro reservatione, in quam certo ei constat incidisse, cum ei certo constet, incestum commissoe in secundo consanguinitatis gradu, qualis est copula cum nepte sibi consanguinea, qui incestus in hac Diœcesi reservatur; unde tale peccatum Confessario privilegiato ad directam solutionem obtinendam confiteri tenetur: quemadmodum certus de emissione voti, & dubius de impletione, tenetur votum implere, ut communiter docent DD. de voto, quia possessio stat pro voto. Ita propter eamdem rationem certus de reservato commisso, & dubius de confessione facta apud Confessarium privilegiatum tenetur apud similem Confessarium illud confiteri: Mazzuch. de reservat. dis. 1. quæst. 3. disp. 21. num. 73.

CAS. III. Franciscus pluribus gravatus poenitentiis alias sibi impositis sciens die festo Titularis Ecclesiæ Parochialis concessam esse Plenariam Indulgentiam omnibus, qui rite confessi, & sacra Eucharistia refecti tam Ecclesiam visitaverint, &c. omnem ad eam lucrandam adhibuit diligentiam, putans sic ab onere tales poenitentias implendi esse absolutum. Q. an vere senserit.

Respondeo in praxi male sensisse. Ratio est, quia licet speculative loquendo, & maxime, si sermo sit de poenitentiis mere satisfactoriis, & non simul medicinalibus, per consequitionem Indulgentiæ Plenariæ consequatur etiam quis remissionem cujuscumque poenæ debitæ peccatis, hoc enim sonat Indulgentia Plenaria, & sic amplius ad poenitentiam à Confessario injunctionam exequendam non videatur teneri, cum casset titulus satisfactionis; tamen in praxi adhuc urget obligatio injunctionam adimplendi, tum quia in praxi nimis incertum est, an quis Plenariam fuerit lucratus indulgentiam, tum quia ordinarie poenitentia est etiam medicinalis, & à relapsu præservativa, tum quia Pontifices in Bullis Jubilæi præscribere solent Confessariis, ut congruas & salutares poenitentias confitentibus imponant. Quæ omnia probans, in praxi explendam esse à poenitente satisfactionem, etiam in casu quo quis Indulgentiam Plenariam lucrari conatus fuerit. Ita cum meo Girib. de Poenit. tract. 1. cap. 12.

M E N S E A P R I L I S.

CAS. I. **B**erta affinis Petro per copulam illicitam habitam cum Petri fratre, cum non nisi cum periculo gravis infamiae, & notabilis damni, attentis particularibus circumstantiis, posset à nuptiis resilire, illas contraxit cum vera intentione matrimonium ineundi, licet nullum esset tale matrimonium. Q. an hoc fuerit simulare Sacramentum cum peccato.

Respondeo negative. Ratio est, quia simulare Sacramentum cum peccato est ponere materiam, ei applicando formam absque intentione conficiendi Sacramentum; quia eo tunc irrogatur injuria Sacramento, sicuti injuriam interrogaret Deo, qui pejeraret sine animo jurandi: in hoc sensu procedit propositio 29. ab Innocentio XI. damnata, ita ut neque urgens metus gravis sit causa justa Sacramentorum administrationem simulandi. At in casu nulla irrogata fuit injuria Sacramento matrimonii, cum propter impedimentum

G

di-

dirimeris, neque posita sit materia talis Sacramenti; cui forma applicari posset; unde non simulavit Sacramentum cum peccato, adeo ut sacrilegium commiserit, ut tenet Viva in explicatione citatae positionis, & Lacroix, lib. 6. part. 1. num. 162. ubi testatur hanc sententiam esse communem. Ad summum dici potest, Bertam simulasse contractum.

CAS. II. Conjuges extra vas de communi consensu se polluerunt. Q. quas circumstantias debeant exprimere pro integritate Confessionis.

Respondeo debere exprimere nedum malitiam talis peccati contra naturam, sed etiam circumstantiam conjugii, & quidem conjugii determinati, ita ut debeant in confessione exponere commisisse peccatum pollutionis *cum conjugi*; & ratio est, quia tale peccatum nedum est mollities contra naturam, sed induit speciem adulterii: cum neuter conjux servet alteri corpus suum caste, quod ad bonum fidei pertinet; nec solum sit adulterium cum aliena conjugi peccare, sed etiam omne quod non habet potestatem conjugii: & hac ratione exprimenda est circumstantia conjugii. Quia postea per tale peccatum nulla habita fuit in justitia adversus conjugem, cum vir, & uxor de communi consensu tale peccatum commiserint, debent exprimere etiam circumstantiam conjugii determinati, quia secus intelligeretur in justitia adversus conjugem. Ita docent Dicastill. lib. 3. de Sacram. tract. 10. dub. 7. num. 82. Diana tom. 2. tract. 6. resol. 186.

CAS. III. Titius, impositam à Confessario poenitentiam bis in mense per annum jejunandi animo adimplendi acceptavit; sed quia ob fragilitatem, & in jejunando difficultatem jam sex elapsis mensibus illam non adimplevit, petiit alium Confessarium, illumque, ut in aliam poenitentiam permutaret rogavit, ne amplius eidem periculo eam violandi sit expositus. Q. an secundus Confessarius possit eam permutare, non audita ex integro, aut ex parte priori confessione.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia secundus Confessarius non judicaret, causa absolute incognita, ut asserunt DD. contrarii, eo quia, licet non cognosceret causam clare, & distincte, ut requireretur, si deberet iudicium ferre de justitia, qua prima poenitentia imposta fuit, illam tamen cognosceret, quantum sufficeret ad poenitentiam permurandam titulo difficultatis ad illam implendam, ut in casu: etenim ex qualitate poenitentiae in prima confessione imposta non posset non cognoscere aliquo modo causam, propter quam fuit imposta; ita ut si poenitentia imposta fuerit gravis, & diurna, cognosceret causam fuisse magni momenti tum intensive, tum extensive considerata; si gravis, sed brevis, causam fuisse gravem solum intensive; si mediocris, fuisse mediocrem; quod sufficeret ad proportionem servandam inter poenitentiam, & peccatum, & sic ad poenitentiam permurandam absque nova, clara, & distincta omnium peccatorum confessione; unde etiam sine hac posset secundus Confessarius in bonum poenitentis priorem poenitentiam permutare. Ita cum meo Girib. de Poenitentia, tract. 7. cap. 12. dub. 9. num. 80. qui plures citat Doctores.

ib. ⑤

MENSE MAIL.

CAS. I. Titius tres habens filias ex prima uxore, cum experientia videtur, bis secundam uxorem in partu expertam esse periculum mortis, tum ut liberet uxorem à novo mortis periculo ob affectum ad uxorem, tum ne filiae necessaria, & utili, qua gaudent, custodia per mortem Novercæ priventur, vellet uxori suæ medicamen sterilitatis causativum. Q. an licite in talibus circumstantiis hoc possit præstare.

Respondeo negative. Ratio est, quia nullo fine cobondestari potest sumptio potionis, qua proli conceptio impediatur, hanc enim, quæ nata est sequi ex copula carnali, impedit, est contra naturam, & naturalem generationis finem; parvus, & solum secundum magis & minus distaret à seminis effusione extra vas, aut ab homicidio, juxta illud Buti: *Sunt parria occidere, & nasci impedit;* quare, sicuti in nullo casu licita est mollities, aut foetus occidere, ita similiter numquam licebit in foemina sterilitatem procurare; quod etiam prohibuit Sextus V. in Bulla de Abortu: consequenter neque in casu, ne filiae Titii optima priventur Novercæ custodia, neque ut ejus uxor à mortis periculo in liberis in lucem edendis liberetur. Est communis contra Torreblancam.

CAS. II. Petrus, contractis sponsalibus cum Berta sub conditione, si intra sex menses centum habuerit in dotem, nondum elapsa præfinito tempore, contraxit sponsalia absoluta cum Francisca Bertæ sorore: at, mortua Francisca, matrimonium de præsenti cum Berta contraxit. Q. an sit validum.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia secunda sponsalia absoluta contracta cum Francisca, sunt invalida, cum non possint exequutioni mandari, nisi cum peccato: etenim Petrus nedum peccavit, hæc contrahendo, non expectata conditionis purificatione intra tempus determinatum, ut in conscientia expectare debebat, sed etiam peccasset, si matrimonium cum Francisca post talia sponsalia, licet, absoluta, contraxisset, non expectata conditionis purificatione, quia tali tempore obligatio expectandi purificationis eventum non fuissent extinta per sponsalia secunda absoluta, specialiter, quia talia sponsalia non fuerunt contractus ultimus, & indissolubilis, & per modum dispositionis ad Matrimonium: si autem viguisse tali tempore etiam post secunda sponsalia absoluta obligatio expectandi purificationis eventum, iam secunda obligatio fuit nulla: cum autem hoc aperte præcipitur, contra talem Instructionem, ut patet, egit Parochus, conjugendo in hac Diocesi Bertam ex Diocesi Imolensi, cum non potuisset nisi cum peccato exequi, eo modo, quo nulla communiter dicitur obligatio matrimonium contrahendi cum dedecore familiæ, quia esset obligatio ad peccandum, cum tale matrimonium absque peccato non posset contrahi, si secunda obligatio fuit nulla, nulla etiam fuerunt secunda sponsalia absoluta, sicque matrimonium cum Berta contractum fuisse validum, cum non obstaret publicæ honestatis impedimentum ex sponsalibus ortum, utpote quia solum ex sponsalibus validis oriatur. Ita cum Lacroix lib. 6. part. 3. num. 8. & clarus cum Palao ab ipso citato.

CAS. III. Confessarius juveni venereis assueto ter in hebdomada qui indecim Pater, & Ave per annum extensis brachiis recitare imposuit. Talem poenitentiam juvenis acceperavit quidem, sed non adimplevit; quia tamen, Deo favente, à prava consuetudine recessit, ad illam adimplendam putat non teneri. Q. an bene sentiat.

Respondeo negative. Ratio est, quia talis poenitentia nendum fuit medicinalis, sed etiam satisfactoria, quod colligitur ex quo sit tota poenitentia juveni imposta; quare, licet ut medicinalis non esset amplius obligatoria, juxta illud: *Medicina non est opus valentibus, sed male se habentibus*: tamen ut satisfactoria pro peccatis est adhuc obligatoria, ne poenitentiae Sacramentum parte careat integrali: quare, quod juvenis sit à prava consuetudine emendatus, sufficit quidem, ut Confessarius talem ei minuere possit poenitentiam, non tamen, ut sit absolute ab onere satisfaciendi exemptus. Quod, si qui non jejunavit in Quadragesima, aut aliis diebus ab Ecclesia præscriptis, non amplius tenetur jejunare, hoc est, quia Ecclesia in diebus jejunii de præcepto decernit diem pro jejunio; at Confessarius imponens poenitentiam per annum, præcipit talem poenitentiam ad satisfaciendum pro peccatis, & ut partem integralem Sacramenti; unde, etiam elapo tempore præfixo, in rigore præstare debet juvenis, de quo in casu, quod anno elapo noluit præstare. Ita Salmant. & Gobat.

MENSE JUNII.

CAS. I. Itius ob adulterium uxoris ex Judicis sententia, fecit divorzium, modo, cum & ipse adulterium, licet secreto, comiserit, dubitat, an in conscientia teneatur uxori reconciliari, illamque tamquam uxorem habere. Q. quid dicendum.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia in casu habentur paria delicta, cum alterque conjux alteri per adulterium fidem fregerit, unde mutua compensatio orta est. Nec obstat, delictum uxoris fuisse publicum, illud viri occultum; quia hoc solum probat, delictum uxoris fuisse sufficiens ad petendum divorzium per sententiam Judicis, non sic delictum viri; non vero tollit, quin in conscientia delicta sint paria: unde, si vir publicum commisisset adulterium post divorzium, teneretur consortem repetrere; & ad illam redire juridice compelli deberet, ut colligitur cap. ex litt. de divortiis, & tenent communiter DD. teste Giribaldo de matrim. cap. 20. tract. 10. dub. 2. num. 12. ita, quia occultum commisit adulterium, in conscientia ex se tenebat uxori reconciliari, illamque ut uxorem habere.

CAS. II. Berta ex illico concubitu fœtæ Amasius, ipsa inscia, potionem tradidit abortum fœtus animati causativam; at poenitentia ductus illam monuit de potione, & facile si voluisset, recursum habendo ad Medicos, potuisset abortum impedire, sed noluit. Q. an Berta inciderit in casum reservatum.

Respondeo negative. Ratio est, quia non incidit vel in excommunicationem à Sixto V. latam contra abortum procurantes, quæ adhuc viget post Bullam moderatoriam Gregorii XIV. si fœtus sit animatus, à qua tamen virtute

Bul-

Bulla Gregorii potest Ordinarius absolvere, aut alter Confessarius ex speciali delegatione ab ipso obtenta, vel in reservationem Ordinarii de homicidio voluntario. Non incidit in excommunicationem Papalem, quia lata est contra procurantes abortum fœtus animati, quem non procuravit Berta, cum studiose non quæsiverit sive per se, sive per alium, ut fœtus immaturo ex ejus utero ejiceretur, ut requiritur ad abortum procurandum, bene vero abortum permiserit, mere negative se habendo, unde non in reservationem Papalem incidit, ut docet cum communi Mazzuch. de reserv. disp. 2. cap. 3. quæst. 3. num. 40. Neque incidit in reservationem Ordinarii, quia in hanc incident solum, qui dolo, malo animo, & studiose aliquem illicie occidunt, aut consulunt, mandant, auxilium, aut favorem præstant; quæ omnia positivum concursum aut physicum, aut moralem important, quam lem certe con præstit Berta, quæ mere negative se habuit: quare peccavit quidem graviter, quia ex terminis casus abortum poterat, & tenebatur impeditre; at in nullam incidit reservationem.

CAS. III. Petrus, fracta Capsula Confessionarii in Ecclesia existentis, in qua Capellanus solet Breviarium, aliasque libros pro Confessionibus audiendis asservare, furatus est tum Breviarum, tum alias Libros. Q. an data, & admissa sententia negante, sufficeret ad sacrilegium præcise furari rem in Ecclesia, adhuc Petrus sacrilegium commiserit.

Respondeo negative. Ratio est, quia in sententia negante &c. ad hoc, ut furtum sit sacrilegum ratione loci sacri, ut hic unice dubitatur, requiritur, quod sit de rebus sub jure Ecclesiæ, quia vel illi traditæ sunt ad custodendum, vel in pignus datæ, vel alio simili modo in Ecclesia depositæ: at ita non se habent in Capsula Confessionarii Breviarium, aliique Libri, quia hæc omnia per accidens sunt in Ecclesia, nec aliquo modo sunt sub jure Ecclesiæ, sed se habent sicuti sellæ, quas pro sui commoditate mittere solent Nobiles ad Ecclesiam: unde, quemadmodum in hac sententia, qui tales sellas in Ecclesia existentes furaretur, non committeret sacrilegium; ut inter alios docet Diana, Girib. de circumst. peccat. dub. 4. Ita, nec Petrum per tale furtum ratione loci sacrilegium commisisse dicendum est.

MENSE JULII.

CAS. I. Mulier, quæ nulliter matrimonium contraxerat ob affinitatem ex copula illicita, monita à Confessario ne debitum redderet, donec, obiecta à Sacra Poenitentiaria dispensatione, matrimonium revalidaretur, cum quadam die non valeret viri importunitatem vincere, ei cum juramento asseruit nullitatem matrimonii, utpote cum prædicto impedimento contracti; at nolens Vir quiescere, adhuc debitum petit. Q. an adhuc licite potuerit debitum petere.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia licet Mulier sciens nullitatem matrimonii non possit reddere debitum; Vir tamen adhuc retinet jus, non quidem reale, cum matrimonium in re sit nullum, bene vero putatum ad debitum exigendum; etenim vir, regulariter loquendo, non tenetur credere Fœminæ assertenti, etiam cum juramento, contraxisse matrimonium cum in-

impedimento dirimente orto ex copula illicita , sicuti regulariter non tene-
tur filius credere matri alleganti ipsum esse spuriū: unde si non tenetur fi-
lius credere, despicio dubio, quod ex tali jurata confessione oriri posset, es-
set licitum debitum petere, licet mulier denegare teneretur. Quod si fœmina
gravia , & clara adduceret indicia ad probandum impedimentum , tunc vir
ante debiti petitionem teneretur diligencias adhibere , nec ante istas liceat
posset debitum petere. Ita cum Diana tom. 2. tract. 6. resol. 175.

CAS. II. Berta vix tribus elapsis horis ab Eucharistiæ sumptione, adulterium commisit. Q. an teneatur talem circumstantiam in confessione aperire.

Respondeo negative. Ratio est , quia , licet deberet talem circumstantiam exprimere , se immediate post Sacramenti sumptionem peccasse , cum eo tunc gravissimam commisisset irreverentiam contra Eucharistiæ Sacramen-
tum , non sic , peccando tribus elapsis horis ab Eucharistiæ sumptione ; ces-
savit enim per tale tempus intermedium talis irreverentiae motivum , ni ve-
limus dicere , durare ad arbitrium : quare , cessante motivo irreverentiae,
nulla esset talem circumstantiam exprimendi necessitas , quæ unice ex tali
capite oriri potest. Ita Leand. de Eucharist.

CAS. III. Titius bona fide bovem emit; quem majori pretio vendidit Pau-
lo : at cum sciverit Titius, furatum fuisse Bovem, & Dominum esse Fran-
ciscum , dubitat , an teneatur Francisco Domino illud plus , quod à Paulo
reportavit , restituere. Q. quid dicendum.

Respondeo , non teneri illud plus Francisco restituere , supposito tamen ,
quod Bos non sit factus intrinsece melior , puta , si adolevisset : sed idem sit
absque intrinseca mutatione. Ratio est , quia est fructus industriæ Titii , non
fructus Bovis , cuius rei signum est , quod , si Titius iterum eundem Bovem
emisset à Paulo pretio minori , & illum Franciscum vero Domino restituis-
set , Dominum indemnam reservasset , cum nullam in re sua læsionem passus
fuisset ; si autem illum indemnam servasset , illud plus , non ad Dominum
Bovis , sed ad Titium ; ut fructus industriæ , spectasset. Ita in casu dicen-
dum est , esse illud plus industriæ fructum , sicque ad illud restituendum
non teneri. Ita cum Lugo de just. disp. 17. sect. I. num. 20. contra Lesium.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. Sacerdos apud Judicem laicum cum protestatione &c. Sempro-
nium de gravissimo furto in domo Patrui sui patrato de illius
mandato accusavit, unde Sempronius fuit ad mortem damnatus. Q. an ta-
lis Sacerdos sit irregularis.

Respondeo probabilius negative. Ratio est , quia in cap. Prælati de homicid.
in 6. permittitur Clericis , conqueri coram Judice de malefactoribus suis , ne
laici scientes , Clericos non posse absque irregularitatis nota querelam co-
ram Judice deponere , audaciores fiant ad illis injurias inferendas ; dam-
nificans autem graviter Patrum Clerici ob sanguinis conjunctionem est
moraliter Clerici malefactor , cum titulo propinquitatis Patrum , & Nepos
unum moraliter in rebus temporalibus computentur , adeo ut damnum uni-
llatum in alium redundet ; quare Sacerdos noster probabilius factus non est

irregularis. Dico solum probabilius , quia Textus expresse loquitur solum
de malefactoribus suis. Ita Diana tom. 5. tract. 5. resolut. 82.

CAS. II. Confessarius audiens Cajum exponentem , rem habuisse cum
Uxore fratri sui , illum interrogavit , an copula fuerit completa ; & licet ex
ejus responsionibus cognoverit non nisi dubitative de complemento copulæ
posse confessionem habere , tamen illum pro absolutione ad Pœnitentia-
rium dimisit. Q. an bene se gesserit.

Respondeo potuisse illum directe absolvere. Ratio est , quia in generali ,
& ordinaria reservatione non includuntur peccata dubia , nisi hoc expresse
explicerit: cum lex reservationis sit stricte interpretanda. Neque dicas , præ-
sumptionem esse pro reservatione , quia ex communiter contingentibus copula
præsumitur completa , hic titulo talis præsumptionis cadere tale pec-
catum sub reservatione. Contra est reservatio de incestu , si stricte est in-
terpretanda , comprehendit incestum certum , non vero solum præsumptum;
cum autem in casu ad summum incestus esset præsumptus , hunc potuisse
Confessarius simplex absolvere , nec debuisse pœnitentem mittere ad Pœni-
tentiarium. Ita cum de Lugo de reserv.

CAS. III. Titio se accusanti in confessione , centum fuisse furatum , sed
dominum ignorare ; imposuit Confessarius , ut illa in pauperes distribueret ,
cui paruit Titius: at post aliquod temporis spatium scivit , Petrum esse ve-
rum Dominum. Q. an denuo teneatur illa centum Petro domino restituere.

Respondeo negative , si debitam adhibuerit diligentiam , ut dominum in-
veniret. Ratio est , quia cum Alex. 3. in cap. cum tu , de usur. jubeat , quæ
usuris inique acquisita sunt , si non supersunt illi , quibus debentur , aut eo-
rum hæredes , dari pauperibus ; quod præceptum DD. communiter etiam
ad furtum extendunt ; sequitur Titium , si debitam adhibuit diligentiam ,
ut dominum inveniret , restitutionem fecisse eo modo quo potuit , &
debuit in tali casu : unde exemplus est ab onere restitutionis , comparente
vero domino rei : maxime cum taliter præsumendum est de domini volun-
tate , ut velit , res suas applicari pauperibus , vel locis piis in remedium
animæ , quando illis uti non potest. Less. lib. 2. cap. 14. num. 43.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. C onfessarius , auditæ Petri confessione , eique pœnitentia imposi-
ta , sermonem cum eo habet de rebus spiritualibus quidem ,
sed imperienter se habentibus ad illius confessionem ; unde inadvertenter
inabsolutum dimisit : at taliter errasse meminit , dum Petrum videt prope
januam Ecclesiæ , eumque sic distantem absolvit. Q. an bene.

Respondeo affirmative , si talis distantia non fuit nimium excedens. Ratio
est , quia ex una parte non contrariatur Decret. Clem. VIII. hoc enim pro-
cedit de pœnitente vere , & proprio absenti , qualis non fuit Petrus in casu
cum fuisse in Ecclesia , & sub oculis Confessarii ; ex alia parte , si talis dis-
tantia non fuit nimium excedens : qualis fuisse , si solum distasset per 20.
passus , Petrus fuisse moraliter præsens Confessario , & verum sensum ha-
buisse verba absolutionis , cum designarent Petrum in Confessarii cons-
pec-